

1547

C O D I C E S A

1548

Stafa. *Stegerrif.*
Ragabia. *Slougrumo.*

Multa hic Etymologis dispicienda, qui malent Nomenclatorem hunc *Italobarbarum*, quam *Latinum* dicere; ita se produnt Voces *Tomajo, Calza, Cucitura, Staffa, Arcione, Sargia* &c. Incertum tamen, an sibi haec *Italus* in *Germania*, an *Germanus* in *Italia* connotarit saltem Sec. XII.

IX. fol. 237. Collectio quaedam Precationum ad Angelos, *Christum* et *B. V. Mariam* Sec. XIV. scripta.

X. fol. 242. p. 2. Absque titulo Tractatus de *Memoria artificiali*, praecipue de usu *Locorum*, eodem Sec. scripta, et incipiens: *Memoria est duplex scilicet naturalis et artificialis. Vnde memoria naturalis est alicuius sensus apprehensio (apprehensi) iterata resumptio* &c. Inter plures, qui olim hoc litus ararunt, haud facile est *Nostrum* adpellare.

DCLXI.

R. 3332 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 38. f. min. caractere crasso perscriptus et rubricis distinctus continet I. *Librum de miseria hominis*, cujus Prologus incipit: *Domino patri Reuerendissimo. Petro portusensi (i. portuensi) episcopo Lotharius indignus diaconus gratiam in presenti* &c. Egi de hoc Opusculo Vol. I. P. 1. col. 852. et P. 2. col. 2130. item hoc etiam Vol. II. ut *Index* docet. In Prologo rite le-

Arfilun. *Satelpogo.*
Sarga uel uestido. *Roc.*

gitur: *dignitatem (non vilitatem) humane nature christo fauente describam.*

Fol. 30. sequitur Tractatus de VII. Vitiis Capitalibus nullo Titulo vel Autore, qui init: *Vidi bestiam ascendentem de mari habentem capita VII. cornua X. Bestia hec diabolus est a uastando sic dicta* &c. De singulis vitiis speciatim agit; tertium tamen, *Superbia*, cum sua membrana excidit. Ignoro Autorem; sed parum sane promittit, qui *bestiam* deducit a *Vastando*.

Fol. ult. habetur Brevis Adnotatio: *De IV. doloribus, quos mali paciuntur in morte, quorum 1) ex angustia corporea, 2) ex libere intuitu animae, 3) ex acriore ejus judicio, 4) ex occursum aliorum spirituum.*

DCLXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 97 XIV. Folior. 99. 8. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas commode perscriptus, rubricis distinctus, et, ut in calce notatur, *pro libraria collegij ducalis* olim datus a *M. Paulo Troppawer de Vienna*, quem in *Locheri Speculo Acad.* ad ann. 1417. et 29. Facult. Philosoph. Decanum inuenio, sequentia continet: I. *In christi nomine. Incipit liber de miseria humane condicionis. Editus a lotario dyacono. Cardinali sanctorum serij*
(Ser-

(Sergii) et bachi. qui postea Innocencius papa tercius appellatus est. Haec ante Indicem Capitum omnium III. Librorum, quem excipit Prologus ad P. Portuensem Episcopum, Petrum videlicet, ut docet chronologia, Gallociam Rom. Atque in hoc pro: *vilitatem humane nature — describam*, rite legitur *dignitatem*. Finit Opus cum Edit. quam Vol. I. P. I. col. 852. Schoepflinianam dixi, ubi et plura in rem praesentem.

II. fol. 25. succedit *Homiliarium ἀδελφότητος* in anni Dominicas a Dom. I. Advent. usque ad Dom. XXIV. post Pentec. cujus Sermo I. incipit: *Cum appropinquaret iherosolimis. Math. 21. Receipta unctio in bethania a maria ante sex dies pasche id est sexto die seu sabbati ante pascha &c.* Non igitur in Evangelium Luc. 21. quod hodie Dom. I. Advent. legitur, licet cetera Evangelia cum hodiernis concordent. Sermones breves sunt, et in iis post alios Patres etiam Bernardus citatur.

DCLXIII.

R. 333^I Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 56. 4. nitidissime exaratus et minio distinctus, quem Scheda inserta a Luittholdo Coenobita Lunaelacensi descriptum testatur, hoc Rubrum praefert: *Hugo* (nempe Victorinus) *de archa noe pro archa sapientie cum archa ecclesie & archa matris gratie*; quam postremam non B. Virginem, sed ipsam divinam gratiam Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

intellige; hanc enim etiam L. II. de Vanit. Mundi edit. Opp. Rotomag. 1648. p. 273. matrem adpellat Hugo. Opus praesens, quod incipit: *Cum sederem aliquando in conuentu fratrum &c.* habetur eod. Tomo p. 298. sed, quid differat Editio a Codice, dicendum est. Libros illa censet IV. Codex vero V. Illa Librum IV. ita terminat: *et iocundantur mundi corde in contemplatione veritatis*; Codex autem ultra sic procurrit: *Breuius dicturus eram, sed fateor vobis, multa me delectat loqui, et erat adhuc fortassis, quod dicerem, si vestrum fastidium non timerem. Nunc igitur ipsius archae nostrae exemplar proponamus, sicut proposuimus, quod exterius depingimus, ut foris discas, quid intus agere debeas, ut, cum huius exemplaris formam in corde tuo expresseris, domum dei in te edificatam esse leteris. Tum: Explicit Liber IV. Incipit Liber V. de pictura archae.* Cum Codex Hugonis, qui a. 1140. obiit, tempora prope adtingat, non videntur haec absque autoritate. Mirum igitur, Librum hunc ab Editoribus avulsum et ceteris IV. ad p. 286. titulo: *Mystica Arca Noe Descriptio* praepositum fuisse. Initium ejus est: *Primum* (inutiliter interjectum in Edit. ad *mysticam Arca Noe descriptionem*) *in planicie, ubi Archam depingere uolo, medium centrum quero &c.* Capitulum distributio, ut in praecedentibus Libris; tota alia est, quam in Editis, et, ne quid dissimulem, Caput XIV. editionis de Mansionibus